Caesar, Gaius Iulius; Glareanus, Henricus Loriti [Oth.]: C. Ivlii Caesaris Commentarii

Friburgi Brisgoiae, 1546 Seite 568



lis ultra Herciniam syluam finitimis Hermunduris orti dicuntur, & seditione domestica pulsi extrema Gallicæ oræ uacua cultoribus, simulq; insulam inter uada sitam occupauere. quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum, ac latera circunluit, ut refert Cornelius Tacitus dicens, apud Batauos fuisse olim lucum sacrum, qui, ut coniectura est, hodie in finibus uici Agheducis in Holandia extat, nec longè secundum Tacitum est insula nomine Mona, unde fortè Monachum oppidum, uel Monasterium ciuitas episcopalis est.

Belgæ populi multarum ciuitatum, oppidorum, ac locorum mari Oceano, Rheno, Matrona, Sequana fluminibus includuntur, horum plæriq; orti à Germanis Rhenum antiquitus traductis Gallos inde expulerunt. hi moribus, legibus, & ornatu nunc sunt ualde culti, humani, & satis effœminati, continueq; sunt apud eos mercatores, quo per ætates commercia, moresq; hominum mutari constat. In his sunt Metropoles, Treuerensis, Coloniensis, Maguntina, Rhemensis, & earum suffraganeis intra Oceanum mare, ac eadem tria flumina constitutis, item Barbantia, Flandria, Holandia, Gheldriæ, ac Phrysiæ pars, tota Picardia, Hannonia, Iuliacũ, Virtutum comitatus, ac Campaniæ maxima portio, Sylua Arduenna uniuersa cum singulis sibi adiacentibus, & ea inclusis populis, ac locis, & plærique principes, tum profani, tum sacri, ducesq; & comites, ciuitatesq;, quarum multæ liberæ, suoq; iure agunt. aliæ Francorum regi obtemperant, quod superest imperatorias par

teis

© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/caesar1546/0605
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
gefördert durch Baden-Württemberg